Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 985
Quelle:
Copyright:

mentatis, quae L. V. *de Consideratione*. c. 10. leguntur, expresse refert. Itaque editores in suis eum Codicibus reperisse non videntur. *Fol.* 73. et 75. Sermones *de Assumtione B. V.* habentur quidem in Editione, verum aut hic, aut ibi mire transpositi. *Fol.* 83. p. 2. Sermo inscribitur: *Item unde supra*, adeoque *Bernardi*. Init vero: *Non immerito fratres nec ad insipientiam uobis ad audiendum uerbum domini auide conuenistis. quoniam uerba uite eterne habet. et uenit hora et nunc est quando mortui audiunt uocem eius et qui audierint uiuunt* &c. Nihil hujusmodi in Impressis *Bernardi*; at ante medium in verbis: *Sed ecce uox domini clamat ad eum dicens. Peccasti quiesce* &c. nemo non videt *Caput VI. Sermonis* seu *Libri de Conversione Clericorum* edit. *cit.* T. II. *col.* 477. et plura alia hujus Libri vestigia per nostrum *Sermonem* sparsa, qui, cum pariter de *Conversione* agat, aut hunc prae oculis habuerit *Bernardus*, dum illum conscriberet, aut vice versa. Cetera finem versus in alia abit Noster, et concludit: *quia et eripuit animam meam de morte. oculos meos a lacrimis pedes meos a lapsu. Fol.* demum 95. *Sermo bernardi abbatis*, qui incipit: *Qui non amat dominum ihesum anathema sit* &c. quaerendus est inter *Sermones in Cantica n.* XX. *col.* 1326. ubi Exemplo nostro prolixior occurrit, et in universum, si de revisione *Sermonum Bernardi* olim ageretur, ratio foret habenda Codicis hujus cum propter magnam lectionis varietatem, tum propter inscriptiones et diversam *Sermonum* divisionem.

Fol. 44. p. 2. occultae Scripturae Specimen visitur in hoc Exemplo: *Si Deus est animus*, vocalibus 5. ita per puncta indicatis |.|:|:|::|:·:| Theca item anterior convestita est membrana exhibente *Cantica Graduum* CXXX et XXXI. eleganti charactere hebraico absque punctis, sed in secundo legitur גבה לבי pro לא גבה.

CCCCXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 404. f. maj. per duas columnas currente calamo exaratus, et minio distinctus est vastum Corpus *Sermonum* D. *Bernhardi* Abb. *Claraevall.* nulla certa ratione ordinatum et in *Partes* II. tributum, quarum I. quae *fol.* 209. Indicem post se habet, incipit a *Serm. in Coena Domini*, qui Edit. *Maur.* T. III. *col.* 890. legitur hoc initio: *Hi sunt dies, quos observare debemus* &c. Sequuntur tamen mox aliqui *de Aduentu Domini*, item *de Diversis*, longi brevibus mixti. *Fol.* 293. p. 2. succedit *Pars* II. inchoans a *Sermone in Aduentu Domini*, qui init: *Exultate fratres in domino, quia de dominica illa sermo succedit* &c. neque *Bernhardi* est, sed *Nicolai Claraevall.* et habetur Edit. *cit.* T. V. *col.* 565. Ita et plures *Bernhardo* perperam tributi, et a *Maurianis* aliis Autoribus redditi utraque *Parte* occurrunt. Sermones singulos R. 3296